



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

4. S. Casimirus Rex Poloniae

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Casimiri Regis Poloniae Protectoris Vigilantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Magnus hic Poloniae Princeps maluit mori, quam maculari. Hic effectus est horroris perfecti erga quodvis peccatum. Fili dilecte! horror, & odium peccati o quam multa, quam magna praestant in anima! agnoverunt mundi Principes. Ideo fugerunt, & reliquerunt omnia. Nos quando sequemur? heu! quid moramur inter tot periculi pericula?

Instructio meritoria.

Injiciamus hodie nostris freno oculis, & ut serio timeamus peccatum, proximam Confessionem cum Sacramentali communione eò ordinemus. Recitemus insuper Psalmum: *Qui habitat in adjutorio Altissimi &c.* ex Completorio. Aut sanctus, aut nihil.

II.

S. Casimirus horruit minima, & levissima peccata ceu gravissima. Et revera respectu offensi Dei nunquam

L 3

datur

datur minimum. O si & nos hujus esse-
mus sententiæ! quàm cautiore fugere-
mus venialia! Hæc monstra sunt in ocu-
lis Dei! execremur! maectemus!

Instructio meritoria.

Paciscamur hodie cum SSS. Trinitate,
nullum per diem præsentem admittere
veniale peccatum pleno consensu, & ad-
vertentiâ, pactumque hoc firmemus spe-
ciali silentiô, & separatione ab omni
publico. Offeramus idcirco cursum
Marianum. Quid est, quod non impe-
trabimus per MARIAM?

III.

Non delicias, non libertatem, non
delectamenta, quæ habuisset S. Ca-
simirus in abundantia, elegit, sed cru-
ciatus, cilicia, aliâque corporis tormen-
ta, dicens sibi. *Regnum meum non est
de hoc mundo.* Deserendæ sunt sæculi
cepæ! harum locò dabuntur deliciae
sanctorum. Et quæ illæ? Nec oculus vi-
dit, nec auris audivit!

Instructio meritoria.

Nulla dies sine linea, nec corpus un-
quam sine sui tortura. Non parcamus
ab-

abstinentiis, nec pœnitentiæ rigoribus. Rogemus à Venerabili Confessario; is sciet, quid conducatur animæ. Corpori nihil comedamus extrâ tempus ordinariæ refectiois. jejunemus hîc, ut ibi satiemur in perpetuum. Pro oratione sit Psalmus: *Deus, Deus meus! ad te de luce vigilo, sitivit &c.* Desideranti aperietur.

Festum S. Coletæ, Prodigiôsæ Virginis ex S. Ord. S. Matris Claræ.

EXHORTATIUNCULA I.

Sacerdos dum sacram hostiam elevat ad aram, Coleta in lacrymas rumpitur copiosissimas. Hi fluunt rivuli, ubi fons, & Scaturigo invenitur viva fides! Fili! ah! S. Hostiam quoties aspiciamus? Sed quali spiritu? Utinam compunctionis, & amoris!

Instructio meritoria.

Ad omnes SS. elevationes Sacrificiorum (si contigerit interesse) statim flectamus, & erectis manibus, oculisque clausis adoremus Deum Eucharisticum, dicentes: *Adoro te devotè latens Dei-*